



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 1. Definitiones Practici & Speculatiui, illiusque proprietates.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

que alius eiusdem speciei cum isto possit tendere in colorem specie distinctum ab albedine.

7 Denum in mea sententia, quæ asserit rationem communem pluribus entitatibus realibus nihil aliud esse, quam aggregatum omnium rationum particularium, hoc obiectum formale sub quo modo explicatum, nihil aliud est, quam aggregatum obiectorum respondentium omnibus actibus potentie collectiue sumptis, quod est obiectum adequatum potentie, hoc enim dicit rationes omnes, quæ possunt distinctis potentie actibus attingi, & obiectum formale quod: albedo v. g. aut nigredo specialiter sumpta, est obiectum inadæquatum potentie, & ita hæc distinctio obiecti in obiectum formale sub quo, & obiectum formale quod in re non distinguitur à distinctione obiecti formalis, in obiectum formale adequatum, & obiectum formale inadæquatum, quæ distinguuntur tanquam includens, & inclusum.

8 Alia est diuisio obiecti in proximum, & remotum; quod dici solet immediatum, & mediatum. Obiectum proximum, & immediatum dicitur quod per se terminat actus potentie. Obiectum verò remotum, & mediatum appellatur, quod non per se terminat actus potentie, sed tantum est subiectum illius, in quod tendunt actus potentie: sicuti partes, qui est subiectum coloris in quem immediate fertur actus potentie visus. Hæc diuisio propria non est, quia alterum membrum diuidens non proprie participat rationem diuisi, illud enim quod dicitur obiectum mediatum, & remotum proprie obiectum non est, sed tantum subiecti obiectum.

9 Item obiectum diuiditur in obiectum adequatum, seu totale, & inadæquatum, seu partiale.

Obiectum adequatum, & totale est illud vltra quod non tendit potentia, quod necessarii dicit omnia peculiariora obiecta, quæ possunt attingi ab omnibus potentie actibus.

Obiectum inadæquatum est illud vltra quod potest tendere potentia, quod tantum dicit partem quandam obiecti. Nonnulli hanc diuisionem admittere nolunt, quia vnum membrum diuidens includitur in alio, obiectum videlicet inadæquatum in obiecto adequato: verumtamen proprie potest dici diuisio, quia inadæquatum sub ratione inadæquati dicit negationem alius partis obiecti, & secundum hanc rationem non includitur in obiecto adequato, & ita est membrum diuidens formaliter ratione negationis, quam dicit ab alio condistinctum.

10 Vltimo diuiditur obiectum in obiectum attributionis, & obiectum attributi.

Obiectum attributionis est illud, ad cuius exactam cognitionem ordinantur cognitiones terminate ad alia obiecta. Obiectum attributi est illud, cuius cognitio ordinatur ad aliud obiectum magis præcipuum cognoscendum, quod diximus esse obiectum attributionis. Hæc obiecta attributionis, & attributi in potentiis præcisè sumptis non reperiuntur, quia nullum est obiectum potentie cognoscitur, aut volitur ad quod ordinentur omnes actus eiusdem potentie: reperiuntur autem huiusmodi obiecta in scientiis, quia cum scientia sit aggregatum ex pluribus cognitionibus scientificis, ex se ad aliquod vnum ordinatis, necessum est habere aliquod obiectum ad quod ordinentur alij actus ad eandem scientiam pertinentes, quod attributionis dicitur obiectum. Volunt nonnulli obiectum attributionis esse obiectum principalius, qui bene sentiunt, si per obiectum principalius illud intelligant, de quo præcipue agitur in scientia; si verò obiectum principalius secundum intrinsecam perfectionem velint intelligi, decipiuntur profectò, quia cognitiones plurium obiectorum secundum entitatem magis principalium ordinantur ad cognitionem aliorum obiectorum minus principalium.

11 Obiectum attributionis semper est obiectum inadæquatum, ac proinde si obiectum adequatum diuidatur in obiectum attributionis, & attributi, dicenda erit diuisio totius in partes, quarum nulla participat rationem adequatam diuisi, sicuti cum diuiditur totum compositum in materiam, & formam.

12 Hic nonnulli disputant de obiecto specificatio, de quo ego Controuers. 14. de anima, vbi de specificatione omnium entitatum, me vide punct. 4. in quo definitio à quibus obiectis omnes vitales actus specificantur, & punct. 3. vbi de habitu specificationis, & punct. 1. vbi definitio quid sit specificatio, & qua ratione vna ens specificetur ab alio,

quæ hic omitto, quia de his agi nequit, donec alia principia prædicta supponantur, quibus sunt dirimenda.

PUNCTVM II.

Quid sit scientia practica, & quid speculativa?

§. I.

Definitiones practici, & speculativi, illiusque proprietates.

Habitibus scientiæ practicus dicitur, qui procedit ab actibus practicis, & in illos inclinat, similiter habitibus speculatiuis appellatur, qui ab actibus speculatiuis nascitur, & ad illos producendos inclinat, & ita tota difficultas circa naturam scientiæ practicæ, & speculatiuæ ad actus est deuoluenda, & inquirendum, quid importet in actu scientiæ, seu in cognitione ratio practici, & speculatiui, quod in præsentiarum definiam.

Cognitio practica est illa, quæ ex se ordinatur ad praxim, seu operationem; & cognitio speculatiua appellatur, quæ non ordinatur ex se ad praxim, sed sinit in pura sui obiecti speculatione. Posui in vtraque definitione particulam illam ex se, quia quod cognitio de facto ordinetur, vel non ordinetur ad operationem à cognoscente, nihil refert ad rationem practici, vel speculatiui: exempli gratia, cognitio, quam habet Medicus de curatione faciendâ, semper est practica, etiam si Medicus non agat de curatione exhibendâ, quia ex se cognitio illa ad curationem exhibendam ordinatur. Adhuc tamen superest explicandum, quid sit cognitionem ordinari ad praxim, quod exactè præstabo paucis. Cognitio ex se ordinata ad praxim est illa, quæ proponit obiectum, ita vt ex vi illius possit voluntas imperare ipsius obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio. Per hanc definitionem exactius, clariùque cognitio practica definitur, & dicemus cognitionem practicam esse illam, quæ proponit obiectum, ita vt ex vi illius possit voluntas imperare ipsius obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio. Similiter cognitio speculatiua definitur, quæ non ita proponit obiectum, vt ex vi illius possit voluntas imperare ipsius obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio. Priorem definitionem conuenire omnibus cognitionibus, quas Scholastici practicas appellant, & non aliis, & posteriorem omnibus cognitionibus, quas auctores appellant speculativas, compertum erit cuicumque rem attentè inspicienti, & quas voluerit cognitiones examini: vnam vel alteram propono. Cognitio quæ noscit artifex ligna, lapidève hac ratione esse collocanda, quæ apud omnes est practica, proponit praxim, seu operationem, ita vt ex vi ipsius cognitionis possit artifex elicere actum voluntatis, quo imperet potentie executrici lapidum lignorumve collocationem. Similiter cognitio, quæ noscit Logicus syllogismum esse construendum tribus terminis hac ratione dispositis, voluntati proponit obiectum, quod potest imperare potentie intellectui ex vi huius cognitionis, & cognitio quam Deus habet de creatura possibili, quam Theologi practicam appellant, ita proponit Deo creaturam possibilem, vt ex vi illius cognitionis voluntas diuina possit imperare omnipotentie productionem eiusdem creaturæ, & illam de facto imperet, quando creatura, à Deo producenda est.

Explicat insuper illa definitio illud, quod vulgò dicitur, videlicet, cognitionem practicam debere esse de re operabili modo operabili, quia esse cognitionem modo operabili, quando illius obiectum operabile est, nihil aliud importat, quam ita tendere cognitionem illam in illud obiectum, vt ex vi talis cognitionis obiectum effici possit. Insuper explicat aliam conditionem, quam Doctores assignant cognitioni practicæ, in quibus P. Valsq. 1. part. disp. 8. c. 9. videlicet non tantum in rem operabilem tanquam in obiectum, sed etiam tendere in illam tanquam in finem, quia hæc tendentia cognitionis in obiectum tanquam in finem, vt Smigletius dandus n. 5. tantum importat cognitionem talem esse vt ex vi illius effectus possit produci: cognitio enim ex se intrinsecè finem non respicit, & tantum dicitur tendere in obiectum tanquam in finem, cum obiectum aliquo modo potest esse illius effectus, eo sensu quo dicimus causam ordinari ad suos effectus tanquam ad finem.

Ex

Ex hoc inferes non esse practicam cognitionem, quam Deus habet de peccatis ab homine commissis, etiam si ex hac cognitione moueatur ad hominem puniendum, quia hæc cognitio non dirigit Deum ad exequendum obiectum cognitum, sed tantum proponit peccatum mouens ad poenam intelligendam distinctam ab ipso peccato. Inferes similiter cognitionem non dici practicam ex eo quod moueat ad operationem voluntatis, videlicet ad amorem, vel odium circa obiectum cognitum, quando talis actus amoris, vel odij efficax non est respectu obiecti, alias omnis cognitio esset practica, quia nulla est cognitio, quam naturaliter non possit sequi amor, vel odium circa obiectum, quod proponit.

Nonnullæ conditiones solent assignari ad praxim, seu ad obiectum scientiæ practicæ, quas breuiter percurram. P. Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 44. sect. 13. n. 20. adducit definitionem quamdam Scoti, asserentis praxim debere esse operationem alijs potentie, pro qua sententia refert Scotum num. 22. quam etiam amplexi sunt vniuersim Scotistæ: ex recentioribus Rada 1. part. Controv. 3. Faber super prolog. disput. 2. Smigletius quest. 4. num. 144. Merinero disp. vnica proem. quest. 6. sect. 1. quibus è nostris adhuc Smigletius in Logica disp. 17. quest. 4. Alij apud eundem Suarez num. 23. ad actum necessarium sententiam Scoti limitant ex Capreolo, quia si actus sit liber, recte poterit esse praxis ad quamcumque potentiam pertineat, quia omnis actus liber cadit sub electionem, ac proinde poterit dirigi ab intellectu ut fiat, vel non fiat. Alij recentiores apud Arriagam disp. 1. sect. 4. subsect. 1. asserunt non sufficere obiectum esse liberum libertate contradictionis, sed requiri libertatem contrarietatis, ex vi cuius possit bene vel male fieri, ut possit dici praxis, seu obiectum practicæ cognitionis. Hurtadus disp. 11. de anima sect. 2. docet ad rationem scientiæ practicæ non requiri libertatem contrarietatis, neque contradictionis. Hunc sequitur Arriaga supra: ibid. subsect. 3. In quaestione ab alijs vocatur, an cognitio tantum dicatur practica respectu obiecti, quod representat, an etiam respectu aliorum similium, quibus omnibus, nonnullis conclusionibus satisfaciam.

Dico primo cum P. Suariorum supra. P. Molin. 1. part. quest. 1. art. 4. disput. 2. P. Vazquez ibid. disput. 8. Rub. in proem. quest. 5. Hurtad. & Arriag. ad cognitionem practicam non requiri hanc versari circa actum alijs potentie. Moueor ad hanc conclusionem, quia sine fundamento talis conditio requiritur. Deinde quia praxis est idem, quod operatio cognitione directâ. Sed operatio intellectus est simpliciter operatio, & potest dirigi operatione aliâ reflexâ præscribente naturam illius: ergo poterit esse praxis, & cognitio, quæ versatur circa illam, poterit dici practica.

Arguit Scotus: Intellectus solâ extensione fit practicus: sed hic non extenditur, quando non versatur circa operationem alijs potentie: ergo non potest fieri practicus nisi per ordinem ad alijs potentie operationem. Respondeo Maiorem omni fundamento destitutam esse; hac tamen gratis admissâ, Minorem esse negandam, quia quando intellectus transit de vno actu ad alium, extenditur intra suum obiectum proprium, quam quando versatur circa actus aliarum potentiarum, qui ad illum non pertinent.

Obiicies secundo. Actus intellectus quando versatur circa actum eiusdem potentie, versatur circa speculationem, quia omnis actus potentie intellectus est speculatio. Sed speculatio non est praxis, potius opponitur cum ista: ergo actus, qui respicit ut obiectum alium actum potentie intellectus, non respicit praxim, sed speculationem: ergo non est practicus sed speculatiuus. Respondeo verum esse omnem actum intellectus esse praxim, falsum tamen praxim, & speculationem ita opponi, ut id, quod respectu vnius obiecti est speculatio, non possit esse praxis respectu alijs actus reflexi, quem terminet, quia id, quod est cognitio respectu vnius obiecti, potest esse obiectum respectu alijs cognitionis reflexæ in ordine ad quam dicitur praxis. Exemplum sit in hac demonstratione: *Omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus*, quæ demonstratio speculatio est respectu hominis, & animalis, & est praxis, & obiectum respectu cognitionis, quâ dirigitur intellectus ad hanc demonstrationem faciendam, & quâ præscribitur rectitudo ipsius demonstrationis.

Obiicit Smigletius: Cognitio huius obiecti dirigit intellectum in cognitionem alijs obiecti, & cognitio præmissarum dirigit eundem intellectum in cognitionem conclusionis, & tamen cognitio conclusionis non dicitur praxis, neque cognitio obiecti procedens ex cognitione obiecti similis: ergo actus intellectus non potest esse praxis, etiam si sit directus alio actu. Respondeo hanc directionem non esse per modum dictaminis proponentis modum, seu naturam cognitionis directæ, in qua directione consistit ratio formalis practicæ cognitionis.

Dico secundo. Quotiescumque effectus producitur dependenter ab actu voluntatis, siue libero, vel necessario, talis effectus praxis dicitur respectu cognitionis, quæ dirigit talem actum voluntatis, seu quæ proponit actui voluntatis ipsum effectum, qui sit dependenter ab illo, & talis cognitio in ordine ad illum effectum practica denominatur. Probo hanc conclusionem. Cognitionem esse practicam nihil aliud est quam ita obiectum proponere ut ex vi illius voluntas possit imperare ipsius obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio. Sed omnis cognitio dirigens actum voluntatis, siue liberum, siue necessarium, à quo producit effectus, ita obiectum proponit, ut ex vi illius voluntas possit imperare obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio: ergo omnis cognitio dirigens actum voluntatis siue liberum, siue necessarium à quo producit effectus, est cognitio practica. Confirmatur: cognitionem esse practicam est cognitionem esse causam obiecti, quod attingit: sed omnis cognitio dirigens actum voluntatis siue liberum, siue voluntarium à quo producit effectus, habet omnem causalitatem, quam potest habere in suum obiectum: ergo est cognitio practica. Maior est omnino certa, quia praxis idem sonat, quod operatio, & practicum idem quod operatiuum: ergo cognitio practica nihil aliud est quam cognitio operatiua. Minorem probo: omnis cognitio quæ dirigit actum siue liberum, siue necessarium habet totum influxum, quem potest habere actus intellectus in actum voluntatis, quia actus intellectus nullo alio modo insuit in actum voluntatis quam illum dirigendo, seu proponendo obiectum in quod fertur actus voluntatis, & non minus insuit cognitio proponens obiectum in actum liberum, ac in actum necessarium. Deinde actus voluntatis imperans actionem externam eo ipso, quod illam imperet habet totum influxum, quem potest habere in talem actionem, quia actus voluntatis tantum insuit determinando potentiam externam per sympathiam, quam habet cum illa ad externam actionem, & omnis actus voluntatis siue liber, siue necessarius eodem modo insuit in obiectum ad quod determinat, & eodem modo illud determinat, cum actus voluntatis non determinet ad suum obiectum efficiendum per libertatem illi extrinsecam, sed per suammet entitatem coexistentem effectui, qui ad illum non supponitur: ergo eo ipso quod cognitio dirigat actum voluntatis siue liberum, siue necessarium, ex vi cuius imperatur suum obiectum, præstat in illum totum influxum, quem præstare potest cognitio in suum obiectum: ergo in illum exercet totam operationem, quam potest exercere actus intellectus in suum obiectum: ergo hoc erit praxis illius actus, qui practicus dicitur in ordine ad tale obiectum.

Ex hac conclusione aliæ inferuntur, de quibus inter authores est controuersia. Prima est non requiri ad cognitionem in obiecto libertatem contrarietatis, sed sufficere libertatem contradictionis, quæ ex præcedenti facile deducitur. Obiectum liberum libertate contradictionis dependet medio actu voluntatis à cognitione illud proponente, & dirigente talem actum voluntatis: ergo obiectum illud est praxis, & in ordine ad illud talis cognitio practica dicitur. Eandem conclusionem explico: duplex est directio, vna, quæ gubernat potentiam ne declinet in actum oppositum illi, quem elicere debet ad quam directionem requiritur libertas contrarietatis. Alia directio est directio ex vi cuius potentie proponitur via quâ eundem est ad talem actionem efficiendam, & ad hanc directionem non requiritur libertas contrarietatis, sed tantum dependentia effectus ab actu voluntatis cognitione directo. Constat eadem conclusio ex communi sententia Theologorum, qui in Deo scientiam simpliciter intelligentiæ practicam appellant, etiam si circa obiectum producendum non possit aliquis error à Deo committi. A priori eandem

eamdem conclusionem efficaciter probat. Cogitatio, à qua medio actu voluntatis aliquis effectus, eodem modo influit, siue altera cognitio, quæ retrahit voluntatem ab illo effectu producendo inclinaret ad opus contrarium, siue tantum voluntatem ab hoc effectu producendo intendat removere, eodem modo influit in suum obiectum: sed quando cogitatio alia inclinat voluntatem ad opus oppositum, voluntas est libera libertate contrarietatis; quando tantum intendit cogitatio removere voluntatem ab hoc opere producendo, voluntas est libera libertate contradictionis: ergo eodem modo influit cogitatio à qua medio voluntatis dependet effectus, siue voluntas sit libera libertate contrarietatis, siue tantum libertate contradictionis: ergo eodem modo in utroque casu practica dicitur. Maiorem probat: cetera patent. Cogitatio inclinans ad hunc effectum producendum non influit virtute aliis cognitionis, ex vi cuius voluntas constituitur libera libertate contrarietatis, vel contradictionis, quia hæc omnis intendit impedire influxum cognitionis inuitant voluntatem ad effectum producendum, sed per se ipsam: ergo permanente eadem cogitatione, & eodem effectu eodem modo influit: imò si aliquando magis influeret, hoc accideret quando voluntas tantum est libera libertate contradictionis, quia tunc cogitatio illa habet minus contrarium; quo intendatur retrahi, quam cum voluntas est libera libertate contrarietatis; quia quando est libertas contrarietatis cogitatio contraria intendit voluntatem removere ab effectu producendo ad quem inclinat alia cogitatio, & allicere ad alium producendum; quando vero est libertas tantum contradictionis, tunc cogitatio contraria tantum intendit voluntatem removere ab effectu producendo, & per se loquendo eademmet virtus magis influit, dum minus adest contrarium retrahens ab effectu producendo, & minorem præstat influxum, dum adest contrarium maius.

Inferitur etiam ex secunda conclusione supra tradita omnem effectum necessariò productum cuius necessitas oritur ex ipsa cognitione esse praxim talis cognitionis, & per ordinem ad illum cognitionem esse practica. Ratio est perspicua ex conclusione supra tradita: effectus ille dependet medio actu voluntatis à cognitione dirigente talè actum voluntatis, & inferente necessitatem eiusdem actus: ergo cognitio illa est practica in ordine ad illum effectum. A priorieandem conclusionem probat, ratione, quæ nuper vixit. Non minus influit cogitatio in effectum medio actu libero: ergo non minori iure dicitur practica, ex eo quod influit medio actu necessario, quam diceretur, si influeret medio actu libero. Antecedens probat: tunc influit medio actu necessario quado influit nulla alia cogitatione retrahente, tunc influit medio actu libero, quando influit retrahente alia cogitatione. Sed ex eo quod dicitur hæc cogitatio retrahens non magis influit, cum influit per se ipsam, & non per cogitationem retrahentem, quæ non iuvat ad influxum, sed potius illum intendit impedire: ergo cogitatio non minus influit medio actu necessario orto ab ipsa cogitatione, quam medio actu libero ab eadem orto: ergo non minus dicitur practica medio actu necessario, quam medio actu libero. Ex hoc concludo, omnem cognitionem per se requisitam ad actum voluntatis esse practica respectu effectus, quem imperat voluntatis actus, etiam si physica aliqua præmotione, vel ex alio capite actus euadat necessarius, quia tunc cognitio illa requisita ad actum influit in illum eo modo, quo cognitio influit in volitionem, & volitio influit in effectum quem imperat: ergo cognitio illa medio actu voluntatis influit in effectum: ergo est practica, cum tota ratio practici consistat in influxu cognitionis in effectum medio actu voluntatis.

Infero similiter quod si voluntati iam in actu primo sufficienter constituta, & prædeterminata ad actum voluntatis cum cognitione ad illum prærequisita, antecedenter seu non consequenter ad actum voluntatis elicientem superueniat alia cogitatio inclinans ex se, & inuitans ad eundem actum, ad quem voluntas erat iam prædeterminata, talem cogitationem superuenientem practica esse respectu effectus quem talis voluntatis actus imperaret. Ratio est: cogitatio illa ex se inuitans ad actum voluntatis superueniens voluntati prædeterminatæ ad talem actum, influeret in actum voluntatis, dum non esset posterior actu, seu dependens

Franc. de Quirado, Philosoph. Tom. I.

ab existentia actus, quam supponeret: ergo medio actu influeret in effectum, quem imperaret talis actus. Tota difficultas argumenti sita est in hoc antecedenti quod constabit ex dicendis Controu. 8. de anima punct. 5. vbi probabo omnem cogitationem proponentem obiectum in quod fertur voluntatis actus in illum influire eo præcisè quod illi coexistat, & non sit illo posterior, etiam si voluntas aliunde sit sufficienter in actu primo constituta, & antecedenter prædeterminata ad talem actum.

Infero vltimò: omnem cogitationem influentem in actum voluntatis ex se imperantem effectum, practica esse, dummodò talis actus voluntatis non sit posterior effectu, quem potest imperare, etiam si ad hanc cogitationem, & ad actum voluntatis ad quem ipsa supponitur, supponatur alius actus voluntatis, ex vi cuius efficaciter imperetur effectus. Probat hanc conclusionem: etiam si hoc imperium efficax ex se ad hunc effectum producendum supponat aliud imperium efficax ad eundem effectum, dummodò non sit posterior effectu, seu dum ab illo non dependeat, influit in effectum simul cum alio imperio, & effectus imperatus dependebit ab utroque imperio, seu ab utroque actu voluntatis; ergo mediis his imperiis, seu mediis his actibus voluntatis effectus dependebit à cogitationibus, à quibus uterque actus dependet: ergo omnes cogitationes, à quibus dependet vnus, & alter actus voluntatis, influent mediis actibus in illum effectum: ergo erunt practica respectu illius. Discursus est legitimus supposito primo antecedenti, quod probat Cont. 7. Physic. Punct. 7. vbi statuo posse eundem actum dependere à duplici fine adæquato, medio duplici actu voluntatis, à quorum quolibet adæquatè dependeat, & Controu. 8. de anima Punct. 5. vbi probat omne imperium, seu omnem actum ex se potentem imperare effectum, illum in actu secundo imperare, eo ipso quod illi coexistat, & ab eo non dependeat.

Dico tertio: nulla cognitio potest esse practica respectu effectus, qui ex se non subditur imperio voluntatis. Hæc conclusio inconcussa est apud omnes, quia cognitio representans obiectum, tantum potest in illud influire medio actu voluntatis: ergo si effectus talis est nature, vt in illum actus voluntatis influire non possit, nullo modo poterit cognitio in illum influire: ergo effectus ille praxis non erit, neque respectu illius cognitio practica dici poterit. Ex hoc fit cognitionem propriæ nutritionis in ipso homine, qui actiue se nutrit, speculatiuum esse, quia immediata actio nutritionis neque ab actu voluntatis, neque ab illius cognitione dependet, nemo enim cogitans potest adire ad naturam suam cubitum vnus.

Dico quarto: scientia ex se in actu primo tantum proprie dicitur practica respectu effectus, quem representat. Probat facile: scientia eatenus dicitur practica quatenus proponit voluntati obiectum, quod imperet, & cuius executionem dirigat. Sed tantum proponit voluntati obiectum, quod representat, & tantum potest dirigere executionem, quam attingit: ergo tantum respectu huius potest dici practica in actu primo. Dixi, tantum scientiam dici practica respectu effectus, quem representat, qui raro aut nunquam est vnus indiuiduus effectus determinatus, ab omni alio conditinctus, vix enim vnquam artifex distinctè percipit vltimam indiuiduationem obiecti, quod intendit deprimere, sed tantum sibi proponit quemdam effectum huius rationis, quem confundit ex vi cognitionis cum aliis similibus, quos instar vnus absque vlla discretionem percipit. Sic contingere necesse est quando intellectus proponit syllogismum in Barbara construendum, quem voluntas imperat non determinando indiuiduationem illius, quam nunquam intellectus cognouit, sed tantum speciem, hoc est, vnus ex innumeris eiusdem rationis ad quem in indiuiduo producendum determinat causa prima, aut conditiones extrinsecæ vt alij volunt. Est ergo in actu primo cognitio practica respectu omnium effectuum, quos per modum vnus confusè attingit, quia illorum quilibet ex vi illius cognitionis æquè bene potest produci.

Dico quinto: Cognitio in actu secundo tantum proprie practica respectu effectus, qui de facto producit ex illis, respectu quorum in actu primo practica dicebatur; quod si alius produceretur distinctus ab illis, respectu quorum in actu primo proprie practica dicebatur,

D respectu

respectu illius in actu secundo propriè non esset practica. Posterior pars probatur: implicat praxis propria in actu secundo respectu cognitionis, quæ in actu primo non est propriè practica in ordine ad illam: sicuti implicat effectum produci à causa, quæ propriè illum producere non potest: negatione enim potentia rectè valet ad actus negationem. Sed cognitio propriè tantum est practica in actu primo respectu effectus, quem attingit; ergo hic tantum, & non alius in actu secundo potest esse praxis respectu illius. Priorem partem conclusionis, videlicet cognitionem in actu secundo esse practicam respectu effectus producti ex his, in ordine ad quos practica supponitur in actu primo facilius probatur: posito actu primo ad effectum, & posito effectui, effectus actui primo tribuitur: ergo supposito effectui producti, & supposita cognitione practica, à qua potest produci, effectus iste illi cognitioni tribuendus est, & praxis est dicendus respectu cognitionis, & hæc in actu secundo practica respectu illius.

18 Dico sexto: Cognitio potest dici practica in actu secundo per accidens, & per quasi monstruosam productionem respectu effectus distincti ab illo, circa quod versatur. Ratio est, quia etsi cognitio tantum per se dirigat ad productionem sui obiecti, poterit potentia inferior non exequi opus illud, quod præscribit cognitio eo modo, quo præscribitur: ergo tunc effectus ille productus in actu secundo distinctus erit ab obiecto cognitionis, qui dicitur praxis monstruosa, quia est præter intentionem agentis. Potentiam inferiorem posse exequi effectum distinctum ab illo, quem præscribit cognitio, & quem imperat voluntas mediâ cognitione monstrat manifesta experientia. Sæpe enim postquam pictor apprimè concipit imaginem Cæsaris, & modum, quo illam est in tabula expressurus, ex intentione optimæ imaginis modo optimo efficiendæ, aliam valde imperfectam depingit: & ego litteram A, verbi gratia perfectissimam concipio, & ex intentione illam exprimendi eodem modo, quo illam concipio propter manus titubationem aliam valde imperfectam scribo.

19 Dices in his casibus artificem non solum concipere opus perfectum, quod non exprimit, sed etiam opus imperfectum, quod exprimit tanquam praxim dictaminis, quod illud opus imperfectum apprehendit, & non aliud dictaminis, quo apprehendit opus perfectum. Huic solutioni experientia & ratio refragatur; Experientia, quia quilibet artifex sæpe experitur efformare effectum, quem nunquam apprehendit, ex intentione alium valde perfectum conficiendi, & sæpe nos ex manus imbecillitate dum rectos characteres conficere intendimus, alios informes valde, quos nunquam concepimus in charta delineatos inuenimus. Ratio, quia sine fundamento tribuitur potentia exequutrici tanta conformitas cum regula præscribente id, quod est factura, ut nunquam possit ab illa declinare, imò à priori constat sæpe declinaturam, cum non dependeat essentialiter in operando ab apprehensione obiecti, seu ab obiecto apprehenso eadem ratione, quâ faciendum est.

20 Dices secundo, intellectum tunc nullo regi dictamine ac proinde hunc effectum non dici praxim respectu dictaminis, quod hunc alio modo faciendum, vel alium effectum repræsentat. Contrà: quando ego conficio opus aliud ab illo quod intendebam facere, constat me moveri ad operandum ex doctrina, & dictamine quod habeo operis exequendi, cui dictamini volo conformari opus à me faciendum; & cui fidens aggredior operis effectum, non ita facturus si dictamine illo carerem, quia si nunquam opus artificiosum apprehendissem, non illud exequi intenderem: ergo saltem dictamen illud est occasio, ut tale opus quod nunquam apprehendi efformem, loco aliud quod apprehenderam & intendebam efficere, quod sufficit, ut dicatur praxis, & operatio monstruosa respectu illius.

21 Vltimò respondebis ratione suprâ traditâ probari praxim posse esse diuersam secundum modum ab obiecto apprehenso, non verò posse esse diuersam secundum substantiam. Contrà: in omni opere artificioso siue intentionali, siue reali variato modo variatur substantia, quia opus artificiosum constituitur tale formaliter per modum, & dispositionem, & aliam non habet formam, per quam constituitur: ergo implicat variari modum substantiæ operis artificiosi non variatâ. Antecedens patet in syllogismo facti in *Barbara*, quia ita constat hac terminorum disposi-

tionem, ut si aliter termini disponantur, iam non erit idem, sed alius syllogismus; hic enim specie syllogismus; hanc dispositionem terminorum in specie, & hic syllogismus numero hos numero terminos hoc modo dispositos importat. Idem videre est in opere artificioso externo, videlicet in hac pictura, quæ ita dicit colores hoc modo dispositos, quod si alio modo iidem colores disponantur, iam non erit eadem, sed alia diuersa pictura.

§. II.

Extrema specificatio cognitionis practicae, & speculatiue assignantur.

Cognitio practica dicit essentialiter esse representationem obiecti, quod principium cognoscens possit medio actu voluntatis producere, ex quo inferitur cognitionem practicam formaliter ut talem dicere ordinem ad principium potens producere obiectum, & obiectum potens produci ab hoc principio: non enim à principio tantum potest desumi ratio practici, quia cum hæc importet ordinem ad principium potens producere non utrumque, sed potens producere obiectum cognitione repræsentatum, non potest percipi ratio practici, quin percipiat cognitionem repræsentare tale obiectum, & principium cognoscens esse productivum eiusdem obiecti repræsentati.

Ex hoc infero in quacunque cognitione rationem practici desumi formaliter ex principio, & ex obiecto, quod repræsentat, quia ad hoc ut principium cognoscens possit ex vi huius cognitionis efficaciter imperare obiectum cognitum, requiritur ex parte principii cognoscens virtus productiva effectus, & ex parte effectus non repugnantia ut producat: quantumvis enim artifex haberet virtutem effectivam operis artificiosi, si ipsum opus in se repugnaret, non posset illud efficaciter imperare: ergo duo essentialiter requiruntur ad hoc ut cognitio sit practica, virtus productiva obiecti cogniti in obiecto producente, & non repugnantia in ipso obiecto ut producat, & utrumque dicit essentialiter ratio practici. Quod si dicas, non repugnantiam obiecti ut producat, necessariò comitari virtutem actiuam illud producendi: hoc admissio adhuc verum erit rationem practici desumi ex his duobus, videlicet non repugnantia effectus, & ex virtute productiva ad illum producendum in principio cognoscente, quæ duo semper distinguuntur, etsi per locum intrinsecum separari repugnaret.

De ratione formali speculatiui non eadem ratione iudicium fero, existimo enim posse sumi adæquatè ex principio; & adæquatè simul ex obiecto; & adæquatè ex obiecto, & non ex principio; non tamen adæquatè ex principio & non ex obiecto. Posse sumi adæquatè ex principio sic probo. Ratio speculatiui dicit principium cognoscens non posse efficaciter imperare obiectum cognitum, ex vi illius cognitionis. Sed eo ipso quod principium cognoscens non sit physicè potens, non poterit ex vi cognitionis imperare tale obiectum siue obiectum repugnet, siue non repugnet: ergo hæc cognitio poterit à suo principio habere totam rationem speculatiui independentem ab obiecto. Dico cognitionem desumere posse rationem speculatiui adæquatè à principio independentem ab obiecto, non quia ratio ista non semper intelligatur in ordine ad obiectum, sed quia ita dicit ordinem ad obiectum, ut ex alio capite independentem ab ipso obiecto intelligatur iam habens principium, ex vi cuius cognitio circa tale obiectum speculatiua necessariò euadat.

Simili ratione probo rationem speculatiui posse sumi adæquatè ab obiecto. Eo ipso quod hæc cognitio terminetur ad chimæram, à quocunque principio procedat, necessariò est speculatiua: ergo ratio speculatiui in hac cognitione adæquatè sumitur ab obiecto. Antecedens probo. Chimæra à nullo principio cognoscitivum est producibilis: ergo repugnat hanc efficaciter imperari ab aliquo principio cognoscitivum. etiam supponatur principium cognoscitivum, quatenus est ex se, cum virtute sufficienti ad producendâ chimæram: ergo eo ipso quod cognitio terminetur ad chimæram, terminatur ad obiectum efficaciter imperari repugnans à cognoscere, etiam hoc quatenus est ex se, virtutem habeat producendi chimæram, quam in esse omnipotentia fert communis Theologorum opinio: ergo eo ipso quod